

ita actiones suspendere, ut illos in istud non exercent; atque causa naturalis est talis E. Major sua radiat luce; Minor verò ex ipsa causæ naturalis definitione liquet, insuperque manifesta probatur experientia, ponamus enim ignem v. g. eique jungamus lignum, videbimus procul dubio ignem suam actionem urendi in lignum exerciturum.

Th. XIII.

Secunda quæstio erit: *An scilicet duæ causæ totales ejusdem ordinis sibi que non subordinatæ possint eundem numero effectum producere.* Ab hac quæstione, ut difficultatis spinæ avellantur, primo attendendum est, ad causæ totalis variam acceptionem, secundo ad definitionem. Variam verò acceptionem quod spectat: Causa totalis sumitur tripliciter (1.) *Causa totalis dicitur ea, cum qua plane non concurrat alia causa ejusdem generis, quò sensu Deus fuit causa totalis, ubi produxit cœlum & terram; & Christus, quando aquam convertit in vinum* (2.) *Causa totalis potest talis esse, cum qua concurrat alia causa ejusdem generis, ut tamen non eadem ratio in effectu utrique respondeat, e. g. quando visus concurrat ad visionem cum specie visibili, in effectu nempe visione alia ratio respondet visui, alia verò speciei visibili, visui in effectu respondet, quod effectus est visio, non autem actio audiendi. Speciei autem visibili aliud respondet; quod scilicet est talis rei visio, qualis à specie visibili repræsentatur* (3.) *Totalis causa dicitur, cum qua concurrat alia causa ejusdem generis, sed non ejusdem ordinis, ita scilicet, ut in effectu eadem etiã ratio quoad speciem utriusque respondeat e. g. cū homo scribit calamo, dum concurrat, alia causa ejusdem generis sed non ejusdem ordinis, quia calamus scriptorius est causa instrumentalis, homo causa principalis; Et quidem, ut utriusque eadem ratio in effectu respondeat, nempe scriptio, sed tota scriptio tum homini tum calamo respondet, huic ut instrumento, illi ut causæ principali. Jam si causam totalem sumimus pro eâ, cum qua nulla alia concurrat ejusdem ordinis in eodem genere, tunc dicimus, si causæ illæ habent diversas potentias agendi, quod unus numero effectus produci non possit à pluribus causis totalibus. Ratio adserti nostri est hæc, quia quodcunque manifestam involvit contradictionem, illud fieri non potest; Atqui unum numero effectum produci à duabus causis totalibus h. m. acceptis manifestam importat contradictionem. E. hoc fieri non potest.*

C

est.